



Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de
Stevartius, Petrus**

[Ingolstadt], 1576

Capvt Secvndvm, Quo, actiones ad gratiam obtinendam requisitas,
supernaturales esse oportere, ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

ea conuersio contineatur, tum de illarum suae efficacia, suae conditione. Virum scilicet naturae vires excedant, utrum liberae sint, utrum gratiam mereantur, utrum eam ad hominem disponant. Haec omnia breuiter expediemus.

XXXIX. Quod ad primum atinet, Martinus Lutherus fidem solum requirens, bis contra fidem turpiter peccauit. Primum quoniam fidem eam postulat quae verè non sit fides, qualem iis adhibemus, quae à Deo sunt nobis reuelata, sed leuis de remissione peccatorum, in speciali, nusquam reuelata, persuasio: uti postea commodiori loco planum faciemus.

Refert hic error ab Aug. lib. de haeresibus c. 54.
a 1. Cor. 3.
b Ezech. 18. & 33. & Luc. 13
c Rom. 8. & 1. Ioan. 3.
d Eccle. 1.

XL. Secundo, quoniam Eunomium veterem haeticum secutus, actiones alias reiecit, reclamante scriptura, quae iam^a charitati, sine qua cetera nihil sunt, iustificationem, atque adeo gratiam tribuit; iam^b poenitentiae, iam^c spei; iam^d timori. Ut nimirum doceamur, sicut DEVS insigni^e gratuita dilectione, benignè ad hominem sese conuertit; ita oportere hominem non solum intellectu credendo, sed etiam omni voluntatis affectu, atque adeo tunc mente in DEVM conuerti, ut qui, secundum omnes potentias mirificè à DEO ornatur, illis omnibus gratiae munera acceptet.

e In loco de Iustificatione.
f In VI. Sess. Concil. Trid. c. 8. tractans de preparatione.

XLI. Sed bene habet, aliqui ex Lutheri discipulis à proreptore defecerunt. Palam enim^e Philippus Melancthon &^f Kemnitius negant, remissionem peccatorum, aut gratiam contingere ociosis mentibus: praedictos voluntatis motus requirunt. Porro autem illos non ita necessarios esse, ut oporteat hominem explicitè omnes elicere, à doctis est annotatum. Satis est enim praeter fidem, charitatis aut poenitentiae actum, iustificationis tempore exprimi, (alteruter enim istorum explicitè videtur necessarius) in quibus reliqui actus virtute continentur.

XLII. Qui enim rebus omnibus Deum antepone, vel super omnia delect quod eum offenderit; ita certè est comparatus, ut facile reliquos actus commemoratos eliciat, cum fuerit opportunum. Quia verò mens hominis non vix semper modo, ad gratiam procurandam incitari solet, sed iam hunc, iam illum actum ex praedictis expressè eliciendo, gratiam recipit; ideo omnes illi meriti à Patribus Concilij Tridentini fuerunt in dispositionibus ad gratiam numerati.

CAPVT SECVNDVM,
Quo, actiones ad gratiam obtinendam requisitas, supernaturales esse oportere, ostenditur.

XLIII. Iam, ut reliqua persequamur, actus quos diximus supernaturales

turales esse debere (saltem quando extra Sacramentum homo iustificatur) ad quos auxilium gratiae, supra declaratum, sit necessarium; Scripturae diuinae perspicue adeo docent, ut mirum sit Pelagium tam grauius fuisse hac in parte hallucinatum. Requirit id quod, supernaturalis ordinis perfectio supra explicata, ut nimirum donum gratiae supernaturale, supernaturali mentis in Deum conuersione acceptetur. Esq; hoc disertè à Patribus Concilij Tridentini constitutum, cum negant, sine praeueniendi Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur.

XLIII. Perspicua uerba sunt haec contra Pelagium; ut Martinus quidem Kemnitius non satis candidè fecisse uideatur, cum sic illa exponit, ut dicat, ex sententia Patrum eius Concilij, facultatem quidem sufficientem, hominem suapte natura habere ad eiusmodi actiones eliciendas; tantum, gratia illi esse opus, ne peccatum impedimento sit, quò minus eas suis uiribus solis exerceat. Minimè uolunt Concilij Patres hominis uires ad id sufficere; cū postquam id expresse negant, addunt praeterea quod est dictum, diuino adiutorio hominem ad eas actiones, indigere. Et alio in loco: Iustificationis initium, à Dei per IESVM Christum praeueniendi gratia, sumendum esse. Ergò Kemnitius, dum contradicendi libidine obcaecatus, non satis expendit, quid sit, hominum adiutorio ad eas actiones indigere, quod Patres dicunt; & multis probare nititur, uires hominis ad gratiam consequendam non sufficere, Pelagium solum impetit, doctrinam Concilij quam expugnare uult, confirmat.

XLV. At, inquit, ex commentariis cuiusdam Doctoris qui à Patribus iussus est Concilium explicare, constat illam eorum fuisse sententiam. (Hoc enim uti solet artificio homo callidus in sententiis Concilij calumniandis) Primum, quis fecit Kemnitium certiore, interpretatione illius Doctoris ipsissimam Concilij sententiam aperire, quae omnibus Patribus sit probata? Grauisima certe oportebat Kemnitium habere eius rei testimonia, ne leuiter arbitraretur, se, cum sententiam illius Doctoris impugnat Concilij Tridentini sententiam impugnare. Quid enim, si non sit ita? Nonne oleum, ut aiunt, & operam perdidit Kemnitius, in tanto uel agmine uel examine fraudum & calumniarum coagmentando, Concilij impugnandi causa, commentariis illius Doctoris illustrati? Deinde, esto, uir ille egregie doctus sententiam Concilij penitus fuerit assecutus; minimè quidem operosum esset docere, Kemnitium, ut doctrinam Concilij, ita & illius Doctoris explicationem, uel non comprehendisse, uel callidè fuisse interpretatum. Sed hominem missum faciamus, re-deamus ad institutum.

XLVI. Cum dicimus actiones illas supernaturales ab auxilio gratiae profi-

Hierem. 31.
Tren. 5. Ioan. 6.
2. Cor. 2. Phil. 2.
Matth. 12.
Vide Aug. lib. 2.
in duas epist. Pelag. & l. 4. in Iul. c. 3. & lib. de Gratia & lib. arbit. c. 17.
Sess. 6. cap. 5. & Can. 3.
In illum Concilij locum.

Can. 1. & 2.

Cap. 5.

proficisci; ex supradictis intelligi potest, in hoc auxilio dona etiam habitualia includi, per quæ antea declarauimus, hominem moueri à DEO ad actiones supernaturales. Neq. enim commodè intelligi potest, quomodo hominis potentia actiones eliciat proprias vires excedentes, nisi sint donis habitualibus confortata, ita fit, vt eodè temporis momento, homo supernaturaliter in DEVM conuertatur, & donis habitualibus ornatur, quibus illam ipsam conuersionem elicit. Si enim tempus aliquod intercederet inter conuersionem & susceptionem habitualis gratiæ, illo utique posset homo gratiam repudiare, ac prouideat un certò dictum esset: Omnis qui audit à Patre & didicit, uenit ad me.

XLVII. Nequè uerò, quòd per hanc conuersionem gratia acceptetur, obstat, quo minus ea conuersio à gratia oriatur. Vt enim suprà declarauimus, tacite ea conuersione gratiam habitualem acceptari, nihil est aliud, quam per illam hominem ferri in DEVM, amando ipsum, atque ita implicite uelle ab eo etiam amari & donari gratia. Quarè sicut benè intelligitur, per conuersionem quæ à gratia simul infusa oriatur, hominem in DEVM ferri prædictis actibus: ita etiam intellectu est facile, gratiam ipsam tacite acceptari per conuersionem in DEVM, cuius eadem gratia sit principium.

CAPVT TERTIVM,

Quo, etsi prædictæ actiones supernaturales sint, liberæ tamen Deo adiuuante esse, explanatur.

Zach. 1.
Ioel. 2.
Esaï. 31.
Ezech. 18. & 33.
Osæ 4.
Amos 4.

XLVIII. Quamuis autem mens hominis ad prædictam conuersionem actus DEI motionem & gratia habituali indigeat, quæ tamen non prius conferatur quam homo conuertatur uti est dictum: minime tamen inde sequi, eam non esse homini, adiuuante DEO, liberam, Scripturæ diuinæ palam testantur, dum à nobis hanc conuersionem requirunt, hortando, consulendo, præcipiendo. Però gratiæ necessitas, quemadmodum cum libertate nostra congruat, proprias duas potissimum rationes ad explicandum est difficile. Primum, quia non apparet, per quid mens hominis iam uocata supernaturaliter, liberè determinetur ad habitus supernaturales sponte recipiendos, quibus actus supernaturales eliciat. Vt ita ratio possit reddi, quarè ex duobus hominibus similiter uocatis & eadè considerantibus, & ad quos iuuandos æquè DEVS sit propensus, unus liberè, habitus supernaturales recipiat, et per eos, actus eliciat; alius uerò non itè. Secundò, quia antequàm homo supernaturaliter conuertatur, non habet dona habitualia gratiæ, à quibus diximus suprà, conuersionem, etiam oriri. Ex quo uidetur, non esse in hominis libera potestate, huiusmodi conuersionem: ipsam idem priusquam conuertatur, non habet omnia quæ ad conuersionem requiruntur.